

**Disputatio inauguralis medica de alvi fluxu, deducta & concinnata ex Hippocratis Aphorismo I. Sect. VI. ubi dicitur ructus acidus in diurnis intestinorum laevitatibus, qui prius non erat, bonus / [Melchior Frick].**

### **Contributors**

Frick, Melchior, 1651-1703.  
Crause, Rudolf Wilhelm, 1642-1718.  
Hippocrates. Aphorisms.  
Universität Jena.

### **Publication/Creation**

Jenae : Literis Bauhoferianis, 1674.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tnbuzp78>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

I. N. 7.

## DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

## ALVI FLUXU,

*deducta & concinnata*

ex Hippocratis Aphorismo I. Sect. VI.

*ubi dieitur*Ru<sup>c</sup>tus acidus in diuturnis intestino-  
rum lœvitatibus, qui prius non erat, bonus,*QVAM*Consentiente Illustri ac gratioſo Medico-  
rum Collegio in inclyta ad Salam Academia

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Excellentissimi atq<sup>ue</sup> Experientissimi

DN. RUDOLPHI VVILHELMI

Krauß /

Phil. ac Med. D. Practicæ ac Chimiæ Profess. Publ.

Celeberrimi, Facult. Senioris Spectabilis,

Domini Patroni ac Promotoris sui aeternum colendi,  
PRO LICENTIASummos in Medicinâ Honores, Privilegia & Insignia DOCTO-  
RALIA solenniter ac legitimè consequendi,*Publico Philiatrorum Examini submittit*


MELCHIOR FRICCIUS, Ulmensis.

In Auditorio Majori

ad diem Julii

horis pro- &amp; pomeridianis.

JENÆ, Literis Bauhoferianis, 1674.





## Prooemium.

§. 1.



Uanquam nunquam non fuere ex Medentibus quidam, qui omnia morborum genera ad calidum, frigidum, humidum & siccum astringere conati sunt; attamen quam parum haec doctrina Medicis accuratioribus & huic imprimis erudito saeculo fatisficerit, vel hinc liquet, quod haec non tam contra rationem & experientiam, quam ipsiusmet Hippocratis asserta, quem tamen se sequi gloriantur, ab artis ignaris fota sustentaque fuerit, sit judicatum. Quorum posterius, ut facilè ex ipsiusmet senis verbis elucet I. de veter. Medicin. c. 24. dicentis: *In homine esse amarum & salsum, & dulce & acidum, & acerbum & insipidum, aliaque sexcenta, que pro copia & viribus varias habent facultates. Sic prius quoq; seqventi Disputationis hujus discursu clarum fiet.*

§. 2. Non autem jam multis me diffundam disputando, an ita dictæ primæ qualitates sufficient ad naturæ mysteria indaganda, cum in hoc vel à dissertissimo Fernelio & Sennerto abundè sit satis factum, quando dicunt insaniae esse opus, omnia ad manifestas qualitates referre. : saltem in præsentiarum paucis probare pergam, humores acidos, amaros, salsos, quos in corpore nostro existere nec ipsi negare possunt, & quos ratione manifestarum qualitatum agere dicunt, per se nec calidos nec frigidos dicendos; ulterius medicamenta pro varia applicatione modò caliditatis, modò frigiditatis edere effectus.

§. 3. Interim non me continere possum, quin vindicem Veteres ab injuria, ut mihi videtur allata.

§. 4.. Reprehenduntur illi à quibusdam recentiorum quod opium, camphoram, acetum aliaque frigida appellârint, quæ tamen inflammabilitas, odor gravis, amarities, erodendi ac dissolendi facultas calida esse demonstret.

§. 5.

§.5. Nam cum caliditas & frigiditas sint qualitates, quæ sensum tactus respiciunt, quid caliditatis inflammabilitas, lapides dissolvendi facultas, quæ refertur ad yillum? quid amarities, odor gravis, quæ objecta gustus & odoratus sunt, probare possunt? anne sensus judicium ferre potest de objecto alterius, & sibi alieno? Ipse ignis inflammabilis licet, si non ureret, quod tamen solo tactu exploratur, esset frigidus. Si opium ardores febrium mitigat, & spiritus inquietos compescit, si camphora inflammationes sedat, & acida ardores in ventriculo aestuantes demulcent, quod tamen facere nemo ambigit, cur non rectè censeantur frigida, quorum tamen actuale in corpore frigus sentimus, nullam video rationem; contrarium autem facere est homini ipsos sensus denegare.

§.6. Distinctionem quam faciunt, quod quædam per accidens operantur illa, quæ aliâs illorum naturæ sunt contraria, non omnem diluunt difficultatem; nec me movent, quæ dicuntur e. gr. de camphora, quod illa per accidens refrigeret, alliciendo ad se ob similitudinem atomos igneas. Ego enim præterquam quod ostendam hanc Camphoræ, aliorumque operationem non à similibus, sed planè contrariis provenire, semper statui cum ingenioso Helmontio, dolores ardoresque in corpore esse signum indignantis Archei. Sic acida in ventriculo non solum pacatè degunt, verùm etiam eundem aestuantem suavi refrigerio refocillant, est enim acidum ventriculo indigenum, quod simul ac si dereliquit suos lares ad pleuram conversum, pleuritidem (Acido extra stomachum hostili Helm) accersit, qui affectus ob ingentes ardores, quos infert pleuræ inflamatio dicitur. Unde Hipp. Aph. 33. Sect. 6. *Qui acidum ructant non admodum Pleuritici fiunt.* Commentator hujus dicit, ructum acidum indicare pituitam frigidam pleuritidi producendæ ineptam. Ego verò eō ipso Hipp. innuere voluisse puto: Ructum acidum denotare fermenti in ventriculo præsentiam, his autem qui ructibus acidis obnoxii, fermentum nec ventriculo exire solere, ad pleuram converti, & pleuritidem efficere: acidum autem in pleuritide pecare, nemo facile negabit, qui summam sanguinis coagulationem in hoc morbô attendit. Conf. auth. Helm. Tachen. VVillis.. ylvii aliorumque. Pari modo acida, præsertim potentia, ut Spir. Aris, Gli, Oli, This, exterius illata, quatenus cuti peregrina caustica e.

vadunt

vadunt. Sic bilis suo loco insons in ventriculum si deferatur , sitim, ardores, anxietates excitat. Camphora , balsamus &ris succinatus (quem tanti in Podagra fecit Experientissimus de le Boe. Sylv. & quem, sive ♀ spectes, sive succinum calidissimum pronunciarer) in doloribus articulorum summis extolluntur laudibus , quatenus acidum ferventis doloris causam imbibunt, ac temperant. Spiritus Lumbricor. terrestr. sal armon. aliquique horum salium spiritus externè illiti ardoribus podagrīs eandem navant operam, quatenus horum salia acidum peregrinum in articulis destruendo , archeum placant, & ob id refrigerantium nomine gaudere possunt , qui iidem spiritus intus assumpti ob summam quā pollent spiritualitatem, sanguinem rarefaciendo , calores excitant, sudores movent, eōque nomine in calidissimorum censum referri merentur.

§. 7. Tantum itaque abest modò enumeratas res omnes, per se vel calidas , vel frigidas esse , quantum quod Sol lutum indurandi facultate sit præditus; qui liquefacit ceram , quæ virtus non à virtute efficientis, sed objecti seu substratæ materiæ unicè dependet.

§. 8. Si igitur calidum & frigidum non sunt qualitates rebus inhærentes; sed demum à virtute & variâ dispositione vitam habentis Archei productæ, verum etiam est dictos satores nihil quicquam in corpore nostro moliri , quatenus vel calidi vel frigidi esse dicuntur.

§. 9. Tandem concludo cum sapientissimo nostro Sene; ut in reliquis morbis; sic etiam in ALVI FLUXU non tam calidum, frigidū, quam acidum, amarum peccare. Sic enim ille Aph. I. Sect. 6. *Ructus acidus in diuturnis intestinor. lœvitatis, qui prius non erat, bonus.* Ructus acidus vult dicere Hipp. indicat redditum fermenti acidi ad stomachum, quod in intestinor. lœvitate defecerat. Est enim fermentum primæ coctionis instrumentum, quo deficiente impossibile est, quin natura committat errores in subsequentibus, cum vitia primæ coctionis ( secundum eundem) non corrigantur, neque in secundâ, neque in tertiat.

§. 10. Acidum igitur & amarum, subnixi ipsius Hippocratis auctoritate, in ALVI FLUXU dum peccare probamus, lubet antea, quædam de statu naturali , quæ circa cibos in stomacho & intestinis accidere solent, enarrare, ut mens nostra circa præternaturalem eò

melius intelligatur, quod ut benè succedat, faxit SUPREMUM NUMEN, in cuius honorem omnia nostra dicta & facta unicè directa esse volumus. Absit modò invidia aliter sentientium, apud quos, ea quæ dicturus sum, si sunt juveniliter prolata, eò majore excusatione digna sunt.

## CAPUT PRIUS de statu naturali.

§. 1.

**M**ichi videtur aliquot inductionibus innotuisse, fermentum & bi-lem, ut & medicamenta, pro varia objecti dispositione, modò calefacere, modò frigefacere, item acidum, & amarum in suo lo-co contentum innoxium esse, quod deinde extra eundem motum caloris atque doloris causa existit. Jam verò quid utilitatis fermentum ventriculi & bilis corpori nostro conferant, quomodo agant in-vicem, & sese destruant paucis edocebimus.

§. 2. Ut igitur Natura homini appetitum excitaret in stomacho de-posuit humorem, (veterib. humor Melancholicus dictus) qui à sapo-re acidus, ab officio fermentum dicitur. Hic stomacho cibis vacuo cum non habeat objectum in quod vim suam exserat, furorem suum in ipsas stomachi membranas exercet, easque vellicando famem ex-citat. Cibi in os sumpti, dentibus masticati, salivâ ad futuram fer-mentationem præparati, à dicto humore acido avidè excipiuntur, atque comminuuntur; qui cum fermento uniti ut eò melius ab eo subigerentur, cum salia (secundum tritum) non agant nisi dissoluta, humore aquoso dilui necessum habent; quô fine natura sitim excitat, quæ humidi aquei appetitus est. Hanc ipsi cibi cum acido uniti, atque in falsum paulatim degenerantes causantur, quod vel hoc probat, quia esuriens stomachus nunquam sitiet, nec sitiens esuriet, & homo cibo sumpto semper naturaliter bibere gestiat. Cibi ita diluti ac fermentati, adjuvante etiam proprio ventriculi calore, quem sanguis arteriosus ei subministrat, tam diu in eò detinentur, donec satis ab acidô subacti pyloro elabuntur, ubi ab intestino duo-denō excepti, novam à bile per colidochum adventante, mutationem subire coguntur.

§. 3. Factâ enim ibidem inter diversa bilis & fermenti salia levi ef-fervescentia, bilis & acidum (haud secus ac Spir. Vitr. & oleum ~~tri-~~ per

per deliq.) agunt invicem; b ilis destruit acidum, *Helmont.* Acor à  
bile sanâ optimè subigitur, in sed. *Anim. ad morb. p.m. 183. 24.* & aci-  
dum bilem, *River. pr.l.17. c. 1.* Acidâ dulcificant amara. Bilis autem  
flava per acidum suo amarore spoliata mortua est & innoxia. Hipp.  
3. de rat. *victus in acut. cap. 28.* Acidum omnem, quæ à melle prove-  
nire potest noxam impedit, & biliosum in melle castigat. Gal. in com-  
ment. potens est biliosum in melle castigare i.e. tollere & comprimere.  
*Sennert.* Paralyp. de generatione & nat. acet. p. 142. Quod acetum  
in melle, idem facit in corpore nostro, & biliosos humores castigat, i.e.  
ne inflamentur, & ardores concipient. & ambo mutantur in salsum,  
*Tachen.* Hipp. Chym. Acidum destruit alkali, & alkali acidum, & ambo  
mutantur in salsum. *Helmont. de hum. pass. decept.m. 135.* Cremor aci-  
dus in salsum ordinariò subter fellis dominium convertitur. & l. c. de  
sexdupl. digest. alim. hum. Mirum dictu, quod acidus tremor in duo-  
deno salis saporem confestim acquirat, suum salem acidum in salem  
salsum adeò libenter commutet &c.

§.4. In hâc actione omne Sanitatis punctum consistit: nam cum  
omne acidum extra stomachum hostile sit, & vel tantillum intra  
Mesaraicas, aut ulteriora intestina admisum, sexcentos morbos  
procreet, illud necessariò prius destructum esse debuit. *Helm. à sed.*  
*anim ad morb. p. 183, 24.* Si acoris minimum in lotio deferatur, parit  
stranguriam, dysuriam, ardoresque lithiasi similes. Acor enim tametsi  
à felle sano optimè subigitur, attamen tantillum ejus potest esse hostile  
in lotio. & C. de sextupl. digest. al. hum. p. 132. 37. Quicquid antea  
acidam in stomacho, in duodeno salsum fit, & sequestratur à stercore,  
si verò acidum perseveret, quod fellis fermento resistat, statim se-  
quuntur tormenta. De bile idem fit judicium, quæ suo amarore si  
non spolietur, choleras, anxietates, ardores, fitim, inappetentias,  
diarrhæas, lienterias &c. excitare potis est, ut in seqq. patebit.  
*Helm. à sed. anim. ad morb. à sed. anim. p. 181, 10.*

§.5. Est & aliis bilis usus non minus conspicuus, nempe præcipi-  
tatio fecum. Hæc à naturâ haud aliter instituitur ac nos minium  
aceto solutum per ol. ♀ ri præcipitamus in sal dulce, quod neque  
de Sapore aceti, nec ol. ♀ ri quicquam participat, & ob id faccha-  
rum Saturni nominatur. Sic etiam bilis ut una fidelia duos deal-  
baret parietes, dum cum acido chylo effervescit, eun que alterat, al-  
terata & ipsa, feces, partem chyli fixiorem atque terrestriorem in  
sub-

subdulce excrementum (notante *Helm. C. de sexdupl. dig. al. hum.* p. 132. 36.) præcipitat, quod neque de acido ventriculi, neque amarore bilis quicquam refert. Spirituosior chyli pars per lacteas A-sellii ad ductum thoracicum Pecqueti, cuius orificium in venam axillarem sinistram definit, amandatur, ubi se se exonerans cum reliquo sanguine circulando ad cor mittitur, ad perennandam vitalem in corde sanguinis rarefactionem.

§. 6. Ex quibus prolatis sequentes eruere lubet conclusiones. I. famem esse ab acido, & sitim à falso: ut II. fermentatio rite fiat, requiri (1) fermentum ad cibos proportionatum. (2) actualem stomachi calorem. (3) humidum aqueum cibos diluens. III. fermentum & bilem esse sibi invicem contraria, & unum destruere alterum, & ideo IV. unum alteri debere esse proportionatum. V. fecum præcipitationem esse à bile. VI. nihil inferre: excrements non sunt amara E. bilis eis non admiscetur, contra Helmont. cum bilis amaror per acidum fermenti sit digestus, & unâ cum eo in salsum subdulce & nitrosum (quod equidem mecum testabuntur illi, qui magnam nitri copiam in locis ab exrementis animalium pinguefactis effodiunt) mutatus.

## CAPUT POSTERIUS de statu præternaturali.

§. 1.

**D**iximus anteà vicia primæ coctionis non corrigi neque in secundâ neque in tertiatâ.

Definitio. §. 2. Fermentum igitur si non debito modo se habeat, vel sit nimis debile vel vitiatum; si cibos non fermentet; si bilem non digerat, subitò hujus culpam alvus luit, ejusque fluxus excitatur. *ALVI FLUXUM esse crebram ac liquidam humorum variorum dejectionem à vicio aut debilitate acidi stomachalis subortam.*

Differen-tia. §. 3. Etenim ob defectum aut corruptionem fermenti alimenta vel plane non fermentantur, & cruda per alvum excernuntur, ut in lienteria; vel solùm in chylum & pituitam convertuntur, quod fit in alvi fluxu chyloso, pituitoso; vel acidum debile aut quoconque modo depravatum ad subigendam bilem impar redditur, quæ acris, nec suò amarore spoliata alvum indesinenter

ter ad excretionem stimulat, quod spectatur in fluxibus cholericis, sponte, aut medicamentorum ope excitatis.

§.4. In horum fluxuum excrementis nitrum (ut à fide dignis audi) non invenitur. Debellato enim fermento, acidum ejus cum bile in falsum nitrosum converti non potuit; secus quod fit in dejectis naturalibus, quæ nitri copiam continent.

§.5. Ubi notandum venit dubiosum quorundam dogma de usu bilis statuentium, illam irritandæ alvo inservire; quod quidem verum esse in statu præternaturali non ambigimus; in naturali verò neutquam, bile per acidum suâ amaritie exutâ, quasi mortuâ, & ad stimulandum ineptâ redditâ.

§.6. Quæcunque igitur acidum quocunque modò destruere, blemque augere possunt, alvi fluxum concitare solent. Qualia sunt *mediatae*. ex rebus naturalibus omnia pinguia, oleosa, lac, butyrum, caro pinguis, suilla, vervecina, melonum cucumerum nimius usus, fungi, fructus horarii, allium, porrum, raphanus, aromatum usus, potus musti, cibi dulces, melliti, faccharati. *Helm. tit. Pharm. ac dispens. mod. par. 30.* *Saccharum fermento ventriculi è diametro est contrarium.* Omnia denique purgantia, venena, ætas juvenilis, ætas fervida, exercitatio corporis. *Hipp. aph. 15. S. 4.* *Helleborum cum magis ducere velis, corporis move, Ira, tristitia, aliaque in Practic. libris annotata.*

§.7. Ex hâc doctrinâ lucem mutuare possumus opinioni à paucis haëtenus dilucidatæ, quâ ratione purgantia, & ipsa quandoque venena alvum turbent, & hypercatharses inducant? Quod autem & illa facere, quatenus gaudent copioso sale bilioso (lixivioso, alkalicò, ut aliis ita nominare placet, sed nihil refert, modò de re constet) qui acidum ventriculi destruendo alvum solvat, vel acer & amarus scammonii, euphorbii, colocynthidis, agarici, opopanaxis, aloes, rhabarbari, aliorumque sapor satis indicat: ulterius quod purgantia & venena in hypercatharsi eadem excitant symptomata, quæ in cholera bilis in ventriculum effusa, ut sunt sitis, anxietates, æstus & morsus præcordiorum, extremerū frigus, convulsio, alvi fluxus, mors subita. Nec mirum si acidum ventriculo amicum, bilis fermento è diametro contraria, ei præsens venenum existat.

§.8. Notandum autem probè alvi fluxum concitantia, purgantia

& venena, adhuc dum in ventriculo existunt, suas absolvere actiones quod Zacut. Lusitanus, aliquique, immo experientia ipsa testatur. Nam ejecto per vomitum purgante, aut veneno etiam alvus fistitur, & secundum Hipp. aph. 15. S. VI. longo alvi profluvio laboranti, vomitus sponte superveniens morbum solvit, cum est contra, si materia peccans in intestinis, praeprimis inferioribus delitesceret, nulla posset adduci ratio, cur levem vomitu concitato, alvus aliquando fistatur: contractis enim ventriculi fibris, atque ad materiam molestantem sursum ejiciendam dispositis clauditur simul pylorus, ut notat Helm. p. m. 142. 2. 143. i. quomodo autem aliquid sursum ex intestinis evacuari posset interclusa hanc viam, quod revulsionis nomen mereatur, & teste Galeno §. 6. Conseruament. i. eorum quae continentur in intestinis, nihil possit per vomitum purgari.

§. 9. Hinc etiam fit, quod sumpto purgante, oris amaror, inedia, sitis, aliaque ventriculum affectum indicantia concurrant. Quare Hipp. aph. 19. S. IV. Qui Pharmacis purgantur, & non sitiunt, purgationis finem non attingunt, priusquam sitierint. Sitis enim est signum devicti a bile acidi. Illi autem qui ventriculo valent, cibos bene concoquunt, jejuno & famelico sunt stomacho, non ita facile purgantur, ob potens eorum acidum, quod bilioso purgantium sali quandoque resistit, & ideo nec sitiunt, nec purgationis finem attingunt. E contra vero hominibus biliosis, febris aut debilitate stomachi laborantibus, aut ardente Syrio, ubi ob debile fermentum hominem sitis, inappetentia affigit, cum purgans non habeat, quod illi resistat, hypercatharses, cholerae aliaque mala facillime excitantur, ita dictante Sene nostro aph. 5. S. IV. sub cane & ante canem difficiles purgationes; εγερδεες dicit textus Graecus ai Φαεκαια laboriosae i. e. cum difficultimis symptomatibus stipatae.

§. 10. Has aegris incommoditates, ut Medici averterent, simulque Principis sui admonitum observarent, quando aph. 9. S. II. dicit: corpora cum quis purgare velit, oportet fluida facere; ex eodem principio ea praemissis bilem digerentibus, ut Spir. Θ. Θis, aliquaque acidis ad futuram purgationem apta reddidere, hanc cautione, ut stomachus, illo adjutus praefidio, purgantis pharmaci nimiam ferociam eum facilius eluderet, ejusque impetum sustineret, cum interim humor peccans per purgationem e corpore eliminandus absque gravi

gravi patientis symptomate ad nutum Medici, nihilominus educe-  
retur.

§.ii. Ut autem in corpore fermentum bilioso purgantium & veneno-  
rum sali aliquando resistere diximus; sic etiā extra corpus optimam  
eorundem institui correctionem per acida quid mirum? Quam ob-  
rem Quercetanus acetum venenorū omnium domitorem appell-  
avit. Ita enim Arsenicum cum Spir. Oi destillatum innocens me-  
dicamentum evadit. Antimonium cum Oro, ratione sui Spiritus a-  
cidi in diaphoreticum figitur. Regulus, vitrum, butyrum, & præcipi-  
tatum ♂ii (spurius Mercurii filius, Mercurius vita dictus) ē violen-  
tissimis catharticis in salutifera & optima bezoardica convertuntur.  
Scammonium ♀is fumo, qui nihil aliud quam acidissimus ♀is Spir.  
per campanam collectus, corrigitur & vocatur diagrydium, quod  
quòplus de acido ♀is fumo imbiberit, eò plus etiam de facultate sua  
purgante deperdit. Mezerei optima præparatio per acida instituitur.  
Sic Helleborus, ephorbium acidis incoqvuntur. De quā Hellebori per  
acida præparatione audiatur B. Rofinck Chym. in art. form. red. c. II.  
I. 4. f. Corrigitur Helleborus  stillatitio summoperè, quia  
dissolvit ipsum, & in dissolutione suā amittit quicquid habet veneni,  
undē alteratur summoperè. Quidni corrigeretur Helleborus, cum &  
♂ & ♀. tus  illo stillatitio summoperè corriganter, ita ut beni-  
gnissima fiant medicamenta, ut experto cuivis Chymico est manife-  
stum. Sic quoque Colocynthis spiritu acido affuso dulcescit, suamque  
efferam laxandi vim ita præparata haud parum amittit; & quæ infi-  
nita alia.

§.12. Occasione harum præparationum non possum præterire pul-  
veres præcipitos, Magisteria vulgo à Chymicis dictos, quos tan-  
quam calces emortuas, inutiles, nec à sale sui menstrui amplius se-  
parabiles, nescio quo maligno ipsorum fato, quidam à Pharmacopoli-  
cis exulare jubent. Etenim quid ♂ diaphor: bezoardic: minera-  
le, antiheat. Poterii aliaq; infinita aliud sunt quam Magisteria ē pur-  
gantibus in salutifera diaphoretica cum spiritibus corrosivis fixata?  
tantum autem abest, ut hæc salia cum hisce combinata, illis noxam  
afferant, ut potius omnem facultatem & perfectionem illis contribu-  
ant. Quod & ☉ Magist. aliás aurum fulminans, satis probat; quod  
cum nihil aliud, quam ipsum ☉ cum sale sui corrodentis menstrui

conjunctionem, tamen ob insignes suas virtutes, bezoardicum Clare à quibusdam audit, notante B. Rofincio. Quæ res, salvo tamen aliorum judicio me credere facit, illa Magisteria majoris esse inergiæ, quam pulveres ipsos simpliciter trituratos. Sed de his obiter cum non sint hujus loci.

**Causæ præternaturales.** § 13. Causæ præternaturales sunt omnes morbi, qui acido ventricili præcipue vim inferunt: ut sunt schorbutus, hydrops, febres intermittentes, ardentes, continuæ biliosæ nominatæ, malignæ & alii; quos præter sitim, nauseas, aliaque corruptionem fermenti indicantia alvi fluxu stipari non mirandum: phthisis, pleuritis, peripneumonia: humores falsi, pituitosi in catarrhis desuper in ventriculum delabentes, ejusque fermentum corruptentes: nimis calida vel frigida intemperies.

**Signa & Symptoma-ta.** § 14. Signa atque symptomata fluxum alvi quemcunque concomitantia, sunt plerumque sitis, inappetentia, nausea, oris amaror, ructus nidorosi, calor aut frigus circa hypochondria, flatus intestinorum, eorumque dolores. Excrementa præternaturalia cum ardore excreta, solito liquidiora, pallidiora, cruda, pituitosa, serosa, sincera, quibus *Helm. Schol. hum. pass. decept. p. 129.* addit amara, & ob id à suibus & canibus non degustata. Est enim eorum amaror à corrupto ac debili acido non dulcificatus, & cum eo in Sal nitri conversus.

**Prognosis.** § 15. Quod ad Prognosin, diarrhœa per se non admodum periculosa; periculosior est alvi fluxus pituitosus, serosus, chylosus; periculosissimus cœliacus, & lientericus, qui, si accidat post morbos graves, plerumque lethalis. *Malum* portendunt, si à diarrhœâ dysenteria; à dysenteriâ lienteria. Si in morbo diurno cibi fastidium & sinceræ dejectiones. *aph. 3. S. 4.* Si tabe detento superveniat diarrhœa. *aph. 14. S. 5.* Si alvi fluxus à pleuritide & peripneumonia *aph. 16. S. 6.* Si in biliosa dejectione circa pectus morsus & amaritudo *Coac. Prænot. c. I. par. 66.* Et alvi fluxus cum ructibus nidorosis, amaris, anxietate & æstu præcordiorum, siti & dejecta appetentiâ infestet.

§ 16. Boni è contra ominis in alvi fluxu ægro circa appetitum nihilominus bene se habente. Si longo alvi fluxu laboranti, spontè vomitus superveniat, qui morbum solvit. *aph. 15. S. 6.* Humorem enim ventriculi fermentum obsidentem evacuat. Si in alvi fluxu ructus acidi,

acidi nidorosis superveniant, cui respondet: In diuturnis intestino-  
rum lœvitatibus si ructus acidus superveniat, qui prius non erat.  
*aph. i s. 6.* Si lienteriâ decumbenti cibi appetentia redeat, qui mor-  
bum discutit. *Epid. I. 2. S. 2. vers. 51.* indicat enim redire stomacho su-  
um fermentum, quod anteâ aberat, & omnia circa primam coctio-  
nem incipere iterum ritè sese habere.

§.17. Indicatio est alvi obstipatio, quod fit humorem peccantem *Indicatio.*  
evacuando, corrigendo, & ventriculo suum fermentum restituendo.  
Si malum ab aliô morbô proveniat, ad eundem cura principaliter  
dirigenda. Alvi fluxus criticus, aut studiô à Medico per purgantia  
excitatus, non est hujus loci, nec ullâ indiget curatione.

§.18. Ubi ventriculus maximè laborat vomitus est proficuus, ita  
jubente *Sene nostro aph. 17. S. 4.* Non febricitanti cibi fastidium, cordis  
morsus, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo si accidat, purgatione  
per superna opus est. Etenim exhibito vomitorio quām commodè  
per viam compendiosam evacuatur id, quod ventriculo est infen-  
sum. Cum igitur in alvi fluxu ventriculus primariò afficiatur, ea-  
demq; ferè concurrent symptomata, vomitus imperandus, assentiente  
*Coo lib. de Pass. c. 25, 26.* *Alvi fluxum supra veratro poto desiccato,*  
*caput putuita purgato, ventrem lacte decocto subluito, postea ceteris ei-*  
*bis & potu, quibus venter corpusq; totum siccescat, curato. Morbus au-*  
*tem hic iisdem fit, quibus & la vitas intestinorum. Nam lienteria, dy-*  
*senteria & diarrhœa similes sunt: quas sic curato: capit is superioris-*  
*que ventriculi defluxum intercipito, vel alio vertito, morbi enim*  
*hujus natura inde est. Præcipue autem naturâ nobis quandoque vi-*  
*am monstrante Ita enim divinus noster Senex aph. 15. S. 6. Vomitus*  
*longo alvi profluvio sponte superveniens, morbum solvit. Et I. 2. de*  
*Vict. rat. inquit: Vomitus alvum non solutam solvit, nimisque solu-*  
*tam sifit; hanc madefaciens, illam siccans.*

§.19. Quæ verba cum sint mysteriosa, atque ut cetera hujus viri  
magnum in Praxi utilitatem habentia, hâc occasione pro ingenii  
viribus explicare non præterimus.

§.20. Præcipua autem de horum veritate ratio dubitandi hæc esse  
potest, quod Hipp: unam eandemque rem duabus & quidem con-  
trariis insigniat facultatibus, dicendo: Vomitum alvum apertam

obstruere, obstructam aperire; siccum madefacere, madefactam siccare. Quæ quidem difficultas disparebit, si Hipp: de diversis affectionibus diversas quoque causas agnoscētibus differentem intelligamus. Est enim alvi obstructio, de quâ h̄ic loquitur Hipp. à pituitâ in ventriculo congestâ quando vel ob errores in diætâ commissos, vel naturalem ventriculi imbecillitatem, cibi ingestî non in probum succum & nutrimentum, sed viscidum & pituitosum excrementum convertuntur. Tali modo affecti plerumque crassum & viscidum spuunt, (quod alvo astrictâ accidere docet ipse *Hipp.l.de viet.rat.in morb.acut.cap.35.*) post sumptum cibum ructant, (dicentibus Germanis daß ihnen die Speise aufstößt) compressione thoracis, spirandi difficultate, ut in hypochondriacis; aliisque symptomatibus pituitæ in ventriculo accumulatæ copiam indicantibus, infestantur. His (inquit Hipp.l.c.) saburra excrementitia superius si expurgetur, vomitus & alvum solvit & siccum madefacit; nimisque solutam è contra in alvi fluxu (eō ut diximus modo) obstruit, madefactamque siccatur.

§.20. Conducit autem superna evacuatio quām maximè in hypercatharsi à venenis aut purgantibus concitatâ. Vomitum commendat *Sennert. l. 3. p. 2. f. 2. c. 6.* Huic intentioni inservire possunt rad. asar. in oxymel. sumpti aut sequens mistura :

**Rx** Oxymel. scyllit. ʒij.  
aq. cinnam. ʒij.  
M. D. pro una dosi.

*vel*

**Rx** Sal. vitr. Angel.  
Sal. ʒii.  
Syrup. cydon. ʒij.  
aq. beton.  
cinnam. aa. ʒii.  
F. Mistura.

§.21. Humores noxios corrigunt, & simul ventriculo suum fermentum restituunt omnia acida, ut sunt Spir. Φi, Μ, Φis, Θis, succus citri, Arantior. granator. Ribium, berberum, Acetum, + destillatum, aliaque quæ pro lubitu à Practic. usurpari possunt. *Helm.* **River.**

River. laudant ovorum vitella dura atque aceto rosaceo temperata.  
Quæ exempla quum non sint præter rem nostram, ea integra trans-  
scribere lubet. Sic enim Helm. tit. Pylor. Rect. par. 20. Deprehendi  
saltem in hoc, quod pylorus nedum appetitus, nauseæ, vomitus causa  
fit, sed etiam cholerae, dysenteriae, diarrhoeæ patrator unicus: & paulò  
post: Vidi juvenem optimè valentem, & insigni appetitu fretum, ma-  
nè aliquot recentia mora matura benè elota comedisse cum pane bu-  
tyraceo, moxque inde sensisse in ventriculo suave refrigerii oble-  
Etamentum. Deinde consternato fortè inde à semihorâ appetitu, cum  
dolore colico incidit in diarrhoeam, habueratque indies fortè 70. se-  
cessus coloris lactei, statim à Medicis exhibita astringentia cordia-  
lia, tām intus quām extra: nimirum succus cydon. cum confect.  
Alkerm. diarrhod. de spod. exhilar. diahyac. atque similibus. Interim  
plurima enemata è sero lactis chalybeato, paribusque quisquiliis in-  
jecta, & frustra omnia. Tandem & opiate aliaque annexa sunt, risitque  
natura doctam ignorantiam, ac ludicra tentamina, diluit verò æger  
vana remedia. At tandem in supremum vitæ disserimen conjectum  
sanavit Dominus. Exhibui nempe bina ovorum vitella dura, aceto  
rosaceo temperata. Pylori vicio diarrhoeam abortam fuisse testantur  
dejectæ appetentia, & ab assumptis vitellis restitutio appetitus.  
River. prax. libr. 9. c. 5. in hunc modum: Cum anno præterito 1640.  
alvi fluxu pituitoso & melancholico per 4. integros menses affecti fu-  
issimus, & ab eō ad extremam maciem & marcorem veluti perdu-  
sti, quandoquidem omnia alimenta in pituositam & mucilaginosam  
materiam convertebantur, ex debilitate ventriculi ea perfectè conco-  
quere nequientis. Post multa remedia, per totum illud tempus usur-  
pata, quorum maxima pars parum aut nihil profuit, tandem aceti  
acerrimi usu frequenti, intra paucos dies è saevō illo affectu liberati  
sumus; cujus equidem aceti vi acidum illud naturale penè deperdi-  
tum plurimum adjutum & restitutum fuisse conjicere possumus: usus  
autem aceti fuit, in pastibus cum ovis induratis, quæ frustulatum  
dissecta aceto intingebamus, & per aliquot dies hoc solo edulio in  
omnibus pastibus utebamur. Tum hoc manifestè percipiebamus, quod

si ace-

*si acetum non esset valde acre, exiguum ventriculo adjumentum ferebat.*

§.22. Acidulæ alvi fluxui mirè conducunt si sint multo spiritu acido ditatæ, si verò multum ~~o~~rtis, non sunt ita utiles, alvum enim magis cident quam obstruunt; quod sciunt omnes, qui squammâ æris ad subductionem alvi utuntur. Hoc autem ita dignosci potest, si acidulæ non durant, sed subito crocum ~~g~~tis ad fundum cadere sînunt, venæ metallicæ divites sunt, quales sunt illæ in agro Tridentino, quæ propè aquarum originem crocum littoribus apponunt, quo præcipitato medicata unda statim emoritur, quæ & ideo alvum fortiter solvunt. Quæ autem magis durant, Spiritus acidi potentiam indicant, qui agendo in metallum non ita facile deficit, & ideo alvo obstruendæ inservire possunt. Terra sigillata, bolus armena astringendo in alvi fluxu suum quoque faciunt, cum constent acido seu austero terreo. Nèc moderate calefacientium usus in alvo sistendâ omnino fugiendus, præprimis ubi ventriculi frigiditas concurrat. Possunt etiam opiate aliaque medicamenta utiliter huic malo opponi, quorum formulæ hinc inde in Pract. libris notata inveniuntur: quas igitur omnes recensere esset oleum & operam perdere.

§.23. *Diæta* in alvi fluxu multum prodest, confert inedia, cibi sint solidi cum acidis temperati. Hipp. l. 3. c. 24. de diæt in diarrhœâ & lienteriâ prandium tertiamque cœnæ partem subducere jubet, laudatque carnes sale & aceto conditas, catulinas autem assatas. & l. 2. de diæt. vomitum usumque ciborum asperorum, acerborum, acrum acidorumque præcipit. Conducunt denique omnia austera, poma immatura, mespilli immaturi, cydonia aliaque cum ad acidorum naturam proximè accedant, & ideo adstringant: vitatis interim omnibus illis, quæ alvi fluxum concitare posse, antea dimisimus. Sit animus denique affectibus privus, corpus ad otium & quietem compositum, dictante Sene aph. 15. S. 4. *Cum Helleborum magis ducere velis, corpus move, cum verò sistere, somnum concilia, nec move. Aer & regio ad frigidum. inclinent.*

**FINIS.**